



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Patentiam perfectam efficiunt vera contemplatio & perfecta dilectio
Conditoris, vt exemplo beati Andreæ patet. Cap. LXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

Vir autem bonus, quicquid ei acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet enim illud sibi accidisse lege diuina, qua vniuersa procedunt. Vnde refert Seneca de quodam Philosopho capto: Qui cum interrogaretur: An aliquid perdidisset? Nil, inquit, quia omnia mea mecum sunt: cum tamen eius patrimonium in prædam cesserat, filios & filias hostis rapuerat, patria in alienam dominationem peruenerat, & tamen vrbè capta, non vincum sed indemnem esse dicebat, quia vera bona sua ut virtutes & bonos mores secum habuerat. O si talis inuenitur gentilis, quid tunc faciet Christianus? cui consultum est exteriora cum seipso contemnere, & inimicos persequentes viscerosè diligere? cum & huiusmodi persecutiones & tribulationes amicis suis Deus indulgeat: quia, ut dicit Abbas Isaac, tribulatio parua pro Deo patienter accepta, melior est magno opere, quod perficitur sine tribulatione.

Patientiam perfectam efficiunt vera contemplatio & perfecta dilectio Conduoris; ut exempli beati Andreae pater.

Cap. LXXV,

Psal. 119.

Psal. 37.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Audi lilium inter spinas: Cum his qui oderunt pacem, eras pacificus. Et iterum: Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolo: tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audivi, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, &c. Et hoc Seneca commendare videtur, dicens: Nemo videtur mihi plus æstimare virtutem, nemo magis illi esse deuotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. Felix proinde qui facit de necessitate virtutem, in aduersitatibus exhibendo patientiam, præsertim propter

Iacob. 1.

futuri præmij eminentiam: quia talis probatio patientiæ operatur: patientia verò perfectum opus habet: quia vera perfectio consistit in plena mortificatione naturalium passionum, ad quas conculcandas maxime iuuant, aduersitates. In cuius figura dicitur in Genesi: *Multiplicatae sunt aquae, & eleuauerunt arcam in sublime.* In aduersitatibus enim homo sublimatur perfectione meritorum & contemplatione,

Gene. 7.

si cum pleno fuerint affectu receptæ. Cōtemplatio verò potissimè dulcorat omnem aduersitatem. Dicit enim Bernardus: Videbatur mihi si ille mentibus nostris veritatis fulgor appareret, aut non sensurum fuisse illum dolorem, aut certè pro nihilo toleraturum. Nimirum cum in contemplatione charitas intensissima conquiratur, quæ cuncta amara pro

Cōtemplatio in aduersitate.

ra pro dulcissimum, amplectens illud Iacobi: *Omne gaudium, id est, plenum gaudium, existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestre patientiam operatur.* Quasi diceret: In tribulatione existentes, gaudium reputare debetis, quia excellentiori gratia seu dono videtur perfusus, qui nouit in aduersis gaudere, quam qui didicit in ipsis non contristari. Minus enim est quod dolor excluditur, quam quo lætitia suadetur: sicut minus est inimicū patiēter dimittaxat tolerare, quam illum etiam ut amicum amare. Quam gratiam sentit Apostolus cum ait: *Repletus sum consolatione, super abundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Quæ scilicet gratia est omnium veraciter & salubriter contemplantium, Cuius ratio est, quia in viribus animæ sit redundantia superioris ad inferius: & secundum hoc delectatio contemplationis amorosæ (quæ est in superiori parte animæ) redundat ad inferiora, ad mitigandum etiam dolorem in parte inferiori, scilicet in sensu: nimirum cum animum mœrore confectum, tristitiaque delectum, potissimè demulcet & releuat diuinæ charitatis amplexata familiaritas, ut diceret Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Sicut enim magnes naturaliter ad se trahit ferrum, ita quod naturalem poderositatem amisisse videatur: sic Deus infinitæ virtutis attrahit sibi supernaturaliter hominis voluntatē & desiderium, perfecta similitudine Domino propinquare conantis. Qui quamdiu eidē adhæret, per prauitatem inordinatæ tristitiæ deorsum non descendit, sed in omni euentu spiritualem præfert lætitiā. De qua lætitiā dicit Origenes super Cantic. Non inueni verius signū boni hominis, quam si inter ærumnas fert dulcedinem mentis ex frequentia sobriæ exultationis. Et hæc est patientia, quæ, secundum Cassiodorum omnia vincit aduersa, non colluctando, sed sufferendo: non murmurando, sed gratias agendo. Ipsa est, quæ faciem totius voluptatis abstergit: ipsa est, quæ lym-pidas animas Deo reddit. Vnde dicit Bernardus de S. Andrea, quod erat homo similis nobis, & tam vehementi desiderio crucem sitiebat, tam inaudito à seculo gaudio tripudiabat, cum paratam sibi crucē eminus conspexisset: O crux, inquit, diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ita ut & tu exultans suscipias me, discipulum eius, qui pependit in te. Vides quia se non capit præ magnitudine gaudij? *Ex abundantia cordis os locutum est, & charitas, quæ feruebat in corde, quasi quasdam scintillas ardentissimas emittebat in voce.* Ita, inquit, ut tu exultans suscipias me. Ergone est

Iacob. 1.

2. Cor. 7.

Philip. 4. 13.

S. Andreas.

Matth. 12.

exultatio tanta, vt exultet & crux ipsa? Aut quid minus contra con-
 suetudinem, supra rationem, vltra naturam, crucifixum exultare q̄
 crucem? Illi sensum lætitiæ natura negauit. Huic si quid præualeret, o-
 mne gaudium exterminat, ingeritq̄, dolorem. Amator, ait, tuus sem-
 per fui, & desideravi te amplecti. Fratres, ignis vibrans est, non lingua
 loquēs: & si lingua, certè ignea est, scintillas emicās desolatorias. Qua-
 les enim scintillæ sunt istæ; aut à quanto micant interiori incendio?
 Sed vnde putas in eo mens tam spiritualis, tam feruens charitas, ani-
 mus tam robustus? Planè spiritus erat, qui adiuuabat infirmitatem
 eius, per quem in corde eius diffundebatur fortis vt mors, imò fortior
 morte: cuius & nos participes vtinā inueniamur. Vides nunc quia crux
 est pretiosa, & amari potest, & exultationem habet, si fuerit qui colli-
 gat? Non enim est arbor syluestris & sterilis, sed lignum vitæ appre-
 hendentibus eam, vitam germinans, iucunditatem fructificās, & bal-
 samum sudans spiritualium charismatum, vtpote exornata membris
 Domini Iesu, tanquam margaritis. Vis audire vnde cruci tanta dul-
 cedo? *Spiritus* inquit, *meus, super mel dulcis*, ita vt nec eius dulcedini
 præualere queat ipsa amarissima mortis amaritudo. Quid non tem-
 perabit illa dulcedo, quæ & mortem facit dulcissimam? Quæ resistere
 possit asperitas illi vnctiōi, quæ mortem quoque facit suauissimam?
 Quam molestiam non expellat illud gaudiū, quod mortē quoque fa-
 cit esse lætitiā? Nec mirum quòd dedit suauitatē cruci, qui dedit &
 igni. Aut quomodo crux videatur insipida, vbi dulce sapit & flami-
 ma? Quid enim Laurentio sapiebat ignis, cum carnifices derideret,
 iudicem subannaret? Sic Stephano lapides torrentis, Tyburtio car-
 bones ignis. Sic Agatha delectabatur in poenis & carceribus. Cur ergo
 nobis non sapit tribulatio fratres pro Christo, nec absconditum man-
 na degustamus, cum sic omnino victus esset diabolus, nec haberet pe-
 nitus quod auferret? Nā si nobis adesset gaudiū in tribulatione, nō ha-
 beret malignus vnde illiceret vnde deijceret. *Nihil enim in eo proficit*
inimicus, quæ crux Christi delectat, si carnalem suggerit delectationē;
nec filius iniquitatis apponet nocere ei, si ad exasperandum eius animū
 immittere tentauerit quamlibet amaritudinem. *Alloissimum* enim po-
 suit *refugium* suum, vtpote quem hilaritas sua leuat & subleuat, vt
 saltus quosdam dare videatur in altum, id est, in Deum, sciens iam
 non solum gloriari *in spe*, sed etiam *in tribulationibus*. Prorsus sublime
 volat, quem non modò futurorum expectatio bonorum, sed præsen-
 tium.

Ecclesi. 24.

Psal. 88.

Ibidem.
Psal. 90.

Rom. 5.

tiā quoque malorum exhibitio delectat, vt & in ea gloriatur. Ro-
gemus igitur & nos fratres, vt Spiritus sanctus, qui hac omnia operatur
in nobis omnibus, vtpote *super mel dulcis*, qui iam *promittit* prae-
etiam in nobis dona sua multiplicet, multiplicata confirmet: ne mo-
lestus nobis sit poenitentiae labor, grauis afflictio corporis, iniuria per-
secutoris: ne sit onerosa abstinentia, insipida disciplina, nec in vigilijs
prae radio dormitet anima nostra, fiatq; voluntas consentanea rationi,
dicenti. *Non sunt condignae passionis huius temporis, ad futuram gloriam,*
quae reuelabitur in nobis. Ad quae consequenda, gaudium Spiritus san-
cti nobis est summè necessarium: nec est certius testimonium eius prae-
sentiae, quàm vehemens desiderium amplioris gratiae, sicut ipse dixit:
Qui me edunt, adhuc esuriunt; & qui bibunt me, adhuc sitient.

1. Cor. 12.
Ecl. 24.
Rom. 8.

Ibidem.

Ecl. 24.

*De patientia operis, oris, & cordis: & de clementia & mansuetudi-
ne, & vtrumne liceat appetere vindictam.*

Cap. LXXVI.

Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut ait Cicero, ani-
mum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduer-
sarium non modo extollere iacentem, sed amplificare pristinam
eius dignitatē: Hæc qui fecerit, non ego eū summis viris comparo, sed
Deo simillimum iudico. Ex quibus verbis elici potest triplex patien-
tia, scilicet operis, oris, & cordis, quæ potissimè manu tenetur tum vir-
tute clemētiæ, cum mansuetudinis: quæ duæ quamuis in eundem affe-
ctum concurrant, in hoc tamen differunt, quòd ad clementiam dire-
ctè pertinet, quòd sit diminutiua poenarum, ita quòd punitionis ex-
terioris est moderatiua, secundum iudicium rationis: quæ modera-
tio prouenit ex quadam dulcedine affectionis, qua quis abhorret om-
ne, quod potest alium contristare. Sed mansuetudo propriè dimi-
nuit passionem iræ & impetum: quia propriè respicit appetitum vin-
dictæ diminuens eum, & moderans secundum rectam rationem. De
qua dicit Hilarius, quòd per mansuetudinem mentis nostræ Christus
habitat in nobis. Hinc consulit Ecclesiasticus: *Fili in mansuetudine ser-
ua animam tuam:* quia nimirum mansuetudo maximè facit hominē
sui compotem. Tamen pro eodem saepe ponitur. Prima igitur est pa-
tientia operis, quam Apostolus consulit, dicens: *Videte ne quis malum
pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in inuicem, &
omnes.* Et: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, recogitantes*

Ecl. 10.
Patientia
operis.

1. Thess. 5.
Rom. 12.
Hebr. 12.

XX 2

6177